e-codices



intelligeret intelligendo amaret amando poſſideret poſſidendo frueretur. Huius ergo cauſis inſpectis videtur quod deus ſuam graciam equaliter debeat infundere omni homini. Reſpondeo una racione generali ſic per imperfectum hominem cum perfecto virtus diuinitatis magis dependitur. Oppoſita enim iuxta ſe poſita magis et clarius eluceſcunt. ſic nigrum cum albo. unum enim propter preſenciam alterius magis luceſcit. Sic ymagine pulchra multis coloribus depicta poſita iuxta minus pulchra maior ſciencia et virtus pictoris dependitur. quam ſi nulla eſſet comparacio unius ymaginis cum altera. Simile eſt in vitro huiuſmodi coloris tincto cum vitro unius coloris ubi maior virtus ondit(ur). Sic ſuo modo eſt in deo. ſi enim omni homini in ſummo graciam dediſſet tunc non eſſet gradus in hominibus racione perfectionis vel imperfectionis. Dicendum eſt ergo ad quorum ſecundum philoſophum in libro de cauſis prima cauſa in omnibus rebus eſt ſecundum operacionem una et ſecundum racionem una non tamen ſecundum diſpoſicionem una. Et eſt exemplum in luce ſeu in radio ſolis quantum eſt in ſe de ſe. Cum enim attingit materiam liquefactibilem ut ceram et cum hoc idem radius attingit materiam indurabilem ut eſt lutum vel limus conſtat quod quantum eſt ex parte radii de ſe eodem modo ſe habet in operacione ad utriusque. ſed ipſa recipiencia radium non equaliter recipiunt et ideo non efficit in utroque quia habent diverſas diſpoſiciones ſecundum quas diverſificatur operacio radii et ideo cera molleſcit et liqueſcit ſed lutum et limus induraſcit. Eodem modo deus quantum eſt de ſe uniformiter habet ſe ad omnes creaturas et equaliter illuminans omnes homines ſecundum ſuam operacionem non ſit gracia preveniens que paulo fuit oſtenſa. non tamen ab omnibus recipitur propter inequalem diſpoſicionem hominum. Sicut ergo ſe habet lux ad oculum ſic gracia ad animam quia oculus non poteſt videre ſine luce ergo nec anima vivere nec facere bonum meritorium ſine gracia. Exemplum aliud Stella differt a ſtella in claritate quia enim una ſtella clarior eſt altera hoc non eſt a ſole ſimpliciter quia ſuum lumen effundit indifferenter et naturaliter ſed eſt propter vicinitatem ſtelle ad ſolem vel lunam et ideo una clarior altera. Sic ergo a ſole iuſticie qui uniformiter ſe habet quantum in ipſo eſt omnes illuminabuntur. ſed propter diſpoſicionem recipiencium inequaliter illuminantur. Contra hoc poſſet aliquis inſtare dicendo quod tamen omnem diſpoſicionem deus inequaliter fundit graciam ſicut legitur de iacob et eſau ex quibus unum dilexit alterum odio habuit. Tunc ceſſat omnis queſtio quia tangit voluntatem

diuina que inveſtigari ab aliquo ſenſu humano non poteſt. Unde perplexitas diuinorum multos fecit errare. Unde heſdre qui perplexus fuit de diuinis iudiciis dixit angelus pondera michi in ſtatera pondus ignis aut meſura flatum venti et revoca diem que preteriit. Et reſpondit quis natorum poteſt facere que me interrogas. et ait angelus Si quererem a te quante habitaciones ſunt in corpore maris aut quante vene ſunt in profundo abiſſi aut quante vie ſunt ſuper firmamentum. Diceres michi in abiſſum non deſcendi nec in celum. Nunc autem interrogaui de igne vento et die ſecundum que tranſiſti et michi de eis non reſpondiſti. Si ergo que tecum ſunt ab adoleſcencia tua non poteras cognoſcere et quomodo cor tuum capere poterit altiſſimi viam. quasi dicat impoſſibile eſt. Ipſe enim eſt lumen inacceſſibile. Unde paulus O altitudo diuiciarum ſapiencie et ſciencie dei quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius et inveſtigabiles vie eius.

**Nota materiam bonam quando**

de devocione quando quibus ſit in devocione conſtitutus. ille miro modo coram deo eſt commendandus. qui ſecundum veritatem poteſt dici homo devotus. Racione enim devocionis deus inclinatur ad exaudiendum in omni peticione exaudibili. Tu dicis ergo neſcio quid ſit devocio. Onda tibi iª puncta que conſtituunt hominem in perfectiſſimo gradu huius vite. In primis dico quod tunc es in vera devocione quando homo interior cum omnibus viribus ſuis convertit ſe ad deum. poſt deum in deum cum abſtractione omnium que dei non ſunt. ibi habes abſtractionem omnium et cum hoc ingreſſum in deum quod fieri non poteſt ſine notabili conſolacione interiori et hanc ſenſit anima devota cum dixit Renuit conſolari anima mea Ecce receſſus. memor fui dei et delectatus ſum ecce ingreſſus. et defecit ſpiritus meus. Deficere quo ad creaturas eſt proficere in deo Quantum enim accedis ad ſolacium mundi tanto magis recedis a ſolacio divino et econverſo. illud eſt ſignum magne devocionis et primus gradus Tunc ſecundo es in devocione quando anima mit aller begird hat aine ſtäten ſchnellen flug uff in got der nit underſtanden wirt. quare ſcriptum eſt. Beati qui ſperant in domino habebunt fortitudinem aſſument pennas ut aquile volabunt et non deficient. Sed volatum ipſius anime in deum multa impediunt et intercipiunt. ſicut eſt conflictus anime cum corpore. Unde apoſtolus Invenio aliam legem in membris meis. Cum enim duo ſunt coniuncta quorum unum tendit ſurſum aliud deorſum omnino deperi trahunt. Tercium

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 165r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/en/vad/0070/165r)